

Pseudo Iamsilla

Historia, 1 (Sezione I)

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Pseudo Iamsilla

Historia, 1 (Sezione I)

Inter eos, quos memoria hominum habet ac antiqua scripta commemorant Romano prefuisse imperio, Fredericus imperator, ex parte aliqua ab imperatoribus clarissimam ducens originem, ipsius imperii dignitatem sapientia et generositate sua ceteris amplius decoravit, ut maiorem decorem ipse imperio quam sibi imperium contulisse probetur. In pupillari quidem etate sua, post utriusque parentis mortem, tyrannos se suamque substantiam lacerantes, quasi agnus inter lupos, divina tantum eum dextera protegente, remansit, donec ad puberes annos perveniens, Innocentio papa III Romane Ecclesie presidente, Oddonem imperatorem, qui post acceptum imperium ad Regnum Sicilie pretiosam pupilli hereditatem manus extenderat, celesti magis quam terrena virtute superavit, et vindictam subsequendo tyrannos accepit adeptusque est coronam imperii tam electione principum quam avita et materna successione decretam. Honorio papa III sedem apostolicam gubernante, compositaque Alamannia sub presidatu Henrici filii sui primogeniti, quem ex consorte sua imperatrice Constantia Hispana susceperat, ipse, in Siciliam aggressus, Saracenos qui, tempore pupillaris etatis eius rebellantes, se in excelsis Sicilie montibus collocaverant potentie ac sapientie sue armis de montibus in plano deiecit et magnam tunc eorum partem, processu vero temporis omnes penitus Saracenos ipsos, in Apuliam ad habitandum sub debita servitute in locum, qui dicitur Luceria, misit. Deiectis autem Saracenis de Sicilie montibus totoque Regno in pace stabilito, transfretavit ad regnum suum Hierosolymitanum, in quo Saraceni Ultramarini, nominis in Domini preiudicium, quoniam, in sepulcro Domini et christiane fidei contumelia superstitionis sue turpitudines operabantur;

cumque statum ipsius Regni reformare intenderet, intellecto quod Gregorius papa, qui Honorio successerat, immisso in Sicilie Regnum exercitu tam usque Apulie confinia, ipsum in absentia imperatoris occupasset, prout temporis brevitās patiebatur, pacificato regni Hierosolymitani statu, in Regnum Sicilie ingressus est; propulsatoque principali exercitu extra Regni fines et regnicolarum suorum turbatione sedata, ad partes Italie et Alamannie, quas eadem causa turbaverat, potenter accessit; indeque removens Henricum primogenitum suum, quem prius emulorum suggestionibus contra se mutatum invenit, quasi viscera sua extra se videns, ipsum in Calabriam misit, ordinatoque Conrado II filio suo in Alamannia loco sui, quem imperatrix Isabella Hierosolymitana sibi genuerat, in Lombardiam venit, ubi primo civitatem Vicentie, sibi et imperio rebellantem, potenter expugnavit et cepit; deinde Mediolanenses et eorum complices rebelles imperii campestri conflictu, capto ipsorum exercitu, debellavit. Pluresque Lombardie magnates in ipsa expugnatione captos carcerari suo in Regno immisit adeptos, et Brixiam quoque circumquaque vastavit; Faventiam mirabili obsidione circumdatam ad deditionem coegit, pluresque alias civitates in Lombardia et Tuscia, que contra imperium rebellaverant, potentie sue viribus ad subiectionem debitam acclinavit. Quasdam quoque civitates in Regno fundavit et construxit, videlicet Augustam et Heracleam in Sicilia, Montem Leonis et Aliteam in Calabria, Dordonam et Luceriam in Apulia, Flagellam in Terra Laboris contra Ceperanum. Destruxit autem quasdam civitates alio tempore minoritatis sue; alie postea sibi rebellaverant, videlicet in Sicilia

Centurbium, Capitium et Trainam; in provincia vero
Beneventana Beneventum; in Apulia Sanctum Severum.